magnitudinis ſufficit nō tantū ꝓ vna vinea ſed pro multarū vineaꝝ cultoribꝫ et culturis. put molēdinū publicū ſeu fornax cōmunis aut pons ꝓ vniuerſis ad multoꝝ hominū vniꝰ terre fabricat' vſuꝫ. pēſantes etiaꝫ in pmiſſis ꝙ impoſſibilitas ꝛ incōmoditas mutāt ius ſcriptū. vt patet de monacho q̄ mortuus mūdo nō poteſt eligere ſepulturā aliam q̄ꝫ ꝙ in ſuo monaſterio debet ſepeliri. ſed ſi morit' extra monaſteriū et in loco remoto de ſuo monaſterio: ita ꝙ cōmode ad illud portari nō poteſt: aut impoſſibile eſt ipm̄ duci ad monaſteriū ſuū: pōt cōmodoſam eligere ſepulturā. vt le. ꝛ no. in. c. vlt. de ſepul. li. vj. Sic etiā de laico q̄ dꝫ ſepeliri vbi recipit ſacramēta eccleſiaſtica ſi nō elegerit: ſed ſi in remotis morit': ius hmōi ꝓpt' incōmoditatē aut impoſſibilitatē immutat'. vt ibidē. c. Is q̄. Sic etiā periculū imminēs mutat ius cōmune. vt de pcu. Si duo. §. ſanc. li. vj. ſic etiā neceſſitas eſt magiſtra rerū. vt in. l. Omnes. in fi. C. de ep̄. ꝛ cle. ꝛ ꝓpt neceſſitatē receditur a iure. de pben. Auū. ꝛ dicit regula iuris quod nō eſt licitū in lege: neceſſitas licitū facit. ꝛ hoc ideo qꝛ neceſſitas legi nō ſubiacet. de obſeruā. ieiu. c. ij. in fi. de ꝯſue. Quanto. vnde neceſſitatis tempe oīa ſunt cōmunia. ff. ad. l. rod. l. ij. §. Cum in eadē. et ſic ꝓpter neceſſitatē famis Dauid comedit panes ꝓpoſitionis. xxv. q. j. §. his ita. ꝛ in neceſſitate pater pōt vendere filiū. C. de patri. qui. fi. diſtrax. l. ij. ſed nō vxorē. vt no. Car. in. c. Nō eſt. de ſpon. q. j. vnde parētes vendiderūt puellam pro vino in ſitis anguſtia vt biberet. Johel. iij. in prin. His igit' omnibꝫ ꝛ ſingulis ſinceriter intellectis: collectis ꝛ relectis ꝑueniamus ad ꝓpoſitū latiſſimi thematis. Et primo notandū ꝙ hoc eſt opus ad rē publicā et vtilitatē cōmunē ꝓpriiſſime ꝓportionatū: ꝛ ſine quo vniuerſitatis colonoꝝ ꝛ vinitoꝝ et eorundē patronoꝝ cōmoditas ꝑſiſtere nō poteſt. ꝛ ad hoc notabiliter humana ſagacitas cōgruentiā ꝛ ꝯuenientiā oportunitas per longas reperit moras ꝛ cōſuetudinis odas taliter introductas. et tales introduxit modos humanitatis ſubtilitas. Nā primū ſi talis et tantus populus poſt refectiōis aut prādij collatiōeꝫ cōueniret. vtiqꝫ citius ꝛ auidius ſitiret ꝛ ſine potu perſiſtere nō poſſet. nā naturalit' cibꝫ ꝑſſumptus potū requirit quē ieiunus (ſaltem ſanus) oīno faſtidit. ꝛ videt' ꝙ talis labor erit in locis freq̄nter inaquoſis et ſine fontibꝫ ꝛ riuulis. ꝛ ſi tantus tumultꝰ ꝛ ꝑſertim in meridianis caloribꝫ, vino deberet ſatiari. veniret in aſſuetudinis abuſus. ꝙ ſi diues haberet talē potū. pauper nō haberet vnde tribueret. nec eſſet arbiter qui inter diuitē ꝛ paupem mediū tāgere poſſet. Unde cōueniēter ſi tantus populus mane diluculo nō pranſus conuenerit: ꝛ ieiunus minus vel nunq̄ꝫ ſitire conſueuit niſi ruſticus ebrius fuerit qui ꝓpter ingurgitatiōis aſſuetudinē int' diem. ꝛ noctē nō diſcernit. Iteꝫ eſtiuali tempe ꝓpter eſtū intentiuū: dn̄e domine quis ſuſtinebit? Itē ſi die nō feriato: quis talē multitudinis laborē exerceret: damnū intolerabile tātus populus ꝓpter ſui proprij laboris negligētiā incurreret. ita ꝙ tandē ꝓpter damnorū illationē ꝓ' luſtantus raro vel nunq̄ꝫ cōueniret. Nam ꝓpter cōmunē vtilitatē cōſequēdaꝫ ꝛ generale damnū vitandū pmiſſuꝫ eſt de iure ſcripto. vt dū hoc genus piſciū q̄ allecia dicunt' more naturali certis tempibꝫ cōueuerit ꝛ terre ſe inclinauerit: eorū captioni ingruente neceſſitate intēdere homines poſſunt: diebꝫ etiā feſtiuis: preterq̄ꝫ in maioribꝫ ſolēnitatibꝫ ꝛc̄: vt in pdicto. c. Licet. de ferijs. Sꝫ cōueniēnt' q̄rere poſſes q̄re in illiꝰ terre vicꝫ comitatꝰ Thuricēn. diſtrictibꝫ ſunt maiores ad torquēdū hmōi vinū conatꝰ: et cū horribilibꝫ lignorū arborū ꝛ machimētorū ac inſtrumētoꝝ cōpagationibꝫ? Reſpondet' et apparet ꝙ ars imitat' naturā inquantū pōt. vt. ff. de adop. l. adoptio. ꝛ vſus ꝛ ars docuit qḋ ſapit omīs homo. vt dicit Pamphilus. ꝛ qḋ natura negat: nemo felic' audet dicit Eſopus. vn̄ naturalit' in illis climatibꝫ vident' talis terre glebaꝝ vineaꝝ vinetoꝝ quoqꝫ ſinis q̄bꝫ ꝑpetuo ſunt altiſſimi mōtes ibidē vicini verſus meridiē vſqꝫ ad Lōbardiā ſe protelātes: ꝛ in aciebus aquilonē hauriētes. ꝛ ad terrā plage noſtre reuerberantes. ꝛ hi in verticibꝫ ſunt ſemp conſperſi niuibꝫ: algoribꝫ. gelu quoqꝫ ꝛ frigoribꝫ: ꝛ nunq̄ꝫ per aliquaꝫ anni particulā. etiā in eſtiuis: feruoribꝫ: caumatibꝫ aut ymbribꝫ ſe talibꝫ niuibꝫ caluantes. ꝛ ab illis tanq̄ꝫ a montibꝫ Gelboe perpetuo reſplendent. ꝛ econtra montes candore niuiū de ſuis cacuminibꝫ relucent intantū ꝙ vineta vites ꝛ vinū ſarmēta quoqꝫ palmites cū racemis. vuis. botris. ſenecijs et acinis duriores habēt ꝛ auſteriores ad modū labruſtarū ceruices. ꝛ in hoc noſtrarū vinearū fructus oēm genus vini in duricia vident' excedentes. Unde videt' experienter ꝙ hmōi vina noſtra raro vel nunq̄ꝫ penitus in ſuis vitibꝫ matureſcunt. ſed cōtra naturaꝫ alioꝝ vinoꝝ in vmbra ꝛ vaſis ꝛ cellaribꝫ ꝓfundioribꝫ ad annos trigīta vel vltra mūde ꝯſeruata primo decoquunt' ꝛ demū cruditate repulſa dulceſcūt. Et igit' his ꝛ alijs ſincere ꝑpenſis dixit quidaꝫ mgr̄ Ambroſius Lombardus ꝓtunc incola terre noſtre medicus peritiſſimus. ꝛ

hoc dudū ante conſiliū Baſilieſe quod infra centū annoꝝ ſpaciū in loco noſtro deficiēt omēs
vinee: ꝛ quis expectabit euentū? attū qꝛ fuit aſtronomus ꝛ fortaſſis multos futuros agnouit
euentus. ꝛ ꝙ ꝓpter cōditiones p̄dictas et alias ſibi notas iudicauit vineas noſtras algore fre-
quēter deficere. ꝛ ꝑ experientiā modernā patroni: coloniq̄ꝫ fructuū ꝛ impēſarū pēſato modera-
mine minus ſolito videntᷣ pficere. ꝛ in veritate plus ſolito diſſipantᷣ frigore incepit ante ꝯſiliū
p̄dictū anno dn̄i. M. ccccxxxj. p̄ma die Martij. Et nūc redeam⁹ ad ꝓpoſitū. ꝛ ꝓpter cau-
ſas prenūc notabiliter deſcriptas: curioſitatis hūane ſagacitas ꝛ longeue cōſuetudis tractabi
litas: ac experiētie rerū magiſtralitas dederūt modū ꝛ formā vt tanta machinamentorū hm̄oi
fieret immenſitas. ac ſi diceremus vt potentes potēter pananᷣ qui impotētes humiles ꝛ paupes
in terris nequiter torquere nō verētur. vt le. ꝛ no. viij. q. j. Illud. ꝛ Sap. vj. de quo nuꝑ ſpecia
lē feci tractatū qui intitulaᷣ de cōſolatiōe inique ſuppreſſoꝝ. Sed vt quaſi ꝑ cōtraria probentᷣ
ſupradicti vini temeritas videamus. Nā vinū rome ꝛ per regna Neapolis. campanie. ſicilie.
ꝛ calabrie. pedibus tantū conculcaᷣ. per lombardiā. quaſi vilibus torcularibꝫ etiā portatilibus
ꝛ mobilibus vinū extorquetur. ꝛ per diuerſas germanie partes minoribꝫ multum laboribus
et expenſis exprimitur. prout hec et alia per expertos vſu quotidiano conſpiciuntur.

Nunc igitur in materia queſtionis principalis ex pre-
miſſis taliter cōcludamus. iudicio ſimplici (ſaluo ſemꝑ saniori) ꝙ vniuerſi ꝛ ſinguli predicto
rū vrbis ꝛ comitatus habitatores. ad hoc opus vel ſimile, put p̄mittitᷣ abiles: poſſint ꝛ debe-
ant abſq̄ꝫ peccati mortalis periculo niſi aliud intrinſec⁹ lateat dictis diebꝫ dn̄icis ꝛ feſtiuitis: ſal
uis tamē ſolēnitatibꝫ maioribꝫ quas nouerūt curati: ꝛ ante miſſaꝝ ſolemnia licite ꝛ libere inter
eſſe. ꝛ opus hoc publicū pro republica ꝛ vtilitate cōmuni per antiquā cōſuetudinē talitᷣ intro
ductā penitus impune dū talis imminet neceſſitas. prout p̄mittitᷣ expedire: nō obſtāte cōtradi
ctiōe quorūcunq̄ꝫ. qui fortaſſis put p̄ferᷣ aduene vel ꝑegrini nō nouerūt cōditiōes terrarū vel
rerū noſtraꝝ antiquas. Et dixi notaliter dū talis imminet neceſſitas, put p̄mitᷣ videlicet in
themate. Alioquī ſi torcularꝫ arbor mōdica vel magna fuerit. ꝛ in ſolo plano ſteterit ꝛ de domo
in domū vel al's ꝑ modicū terre ſpaciū trāſferēda, puenerit. in his arbitriū boni viri ſeu mode
ratio ſacerdotꝫ (de quo plene p̄narraᷣ) ſpectāda ſemꝑ occurrerit. Hec igitᷣ ad memoriā mode
rationis localis perpetuā ꝛ in alterius reipublice modificationē per viri ſollertis indagationē
ſincerius dirigendā veſtre beneficētie legalitates. benigne recipiāt ꝛ nō prius q̄ꝫ legāt increpare
vel inculpare p̄ſumant. ac prius q̄ꝫ ſcrutenᷣ nō redarguāt vel cōdemnēt. xj. q. iij. Horū. ꝛ. xxix.
diſt. c. j. ſed expoſt mutēt ꝛ minuāt: minuāt ꝛ corrigant: ꝛ ſolū eterni iudicis tribunal pre oculis
habeant. Cuius honor ꝛ gloria nos ad ſupernorū ciuiū vniuerſitatē feliciter ꝑducat. Amen.

# De matrimonio. Tractatus eiuſdem.

Glorioſus deus omnia queeunq̄ꝫ voluit
fecit: ꝛ erāt valde bona. ꝛ inter opa ſuaꝝ creaturaꝝ nō erat minimū hu̾iſſimi
matrimonij ſacrm̄ die ſexto p̄ſente trinitatis ſumme teſtimonio in volupta
tis paradiſo cōſtitutū. in finē ꝛ euētū vt inter virū ꝛ mulierē eſſet felix legiti
ma q̄ꝫ cōiunctio indiuiduā vite ꝯſuetudinē retinēs. vt dixit ſummus ponti
fex Alex. iij. de p̄ſum. Illud. Illā igitᷣ indiuiduā vite ꝯſuetudinē deſigna-
uit dn̄s: cū p̄mo virū creauit. et ꝯſ̄ter de coſta viri ſibi mulierē fabricauit: ꝛ nō de capite aut pe
dibus: ſed de ventris medio. vt mediocris ꝛ conſodalis ſibi foret conuerſatiōis cōſuetudo. Ex
his perpendamus q̄ꝫ ſolēniter immo ante omēs mūdi ſolēnitates videtᷣ ſolennizatū per ponti
ficis ſummi ſolennizantis cuncta ꝑ mundū creatorē. Et igitᷣ dixit Hiero. ſuꝑ illud Matthei
xix. Quod deus cōiunxit homo nō ſeparet. ſubaudi. violenter. ſine lege. abſq̄ꝫ ratione. Nō enī
homo ſeparat quos pena damnat. quos reatus accuſat. quos maleficiū coartat. Hec ille. Sed
nūc ſepe videmus ꝙ hos quos deus nō cōiunxit. ſed aliunde cōiunctos infeliciter infelicitas
cōbinauit: dyabolus niſi q̄ꝫ ſeparauit. hoc eſt vt quos libido furioſe delectationis ꝛ nō amor cō-
iugalis ſancte ſerenitatis cōbinat. ſathanas qui Paulū colaphizauit violēter ſegregare obmitte-

tit. Vñ dixit Valerius in epl'a ad Rufinũ volentē contrahere matrimoniũ. Sol hoīm Sa-
lomon. theſaurus diuitiaꝝ. ſapiētie dñi. ſingulare domiciliũ. craſſo tenebraꝝ ſuſcatus atrimē-
to. lucē anime ſue feminaꝝ facinore amiſit. ⁊ poſtremo curuatus videlicet Salomon coram
Balaam idolo ex triclinio dñi mutatus eſt in mēbꝛũ dyaboli. Sunt ergo ſacra matrimonij cō-
nubia de puro ⁊ bono cōſenſu partiũ cōiungenda. Nã dixerũt parentes filie ſue Rebecce quã
Yſaac filius Abꝛae ꝑ nunciũ petiuit in vxorē. queramus volũtatē puelle. ⁊ ipſa mox ſine deli-
berationis dilatione. quia fuit nubilis: ⁊ amore cōcitata: naturalibꝫ inſtrumētis in virũ quē nō
cognouerat neqꝫ viderat: ſed tantũ de ſue iuuētutis ⁊ pulcritudinis ſtatura ꝑ nunciũ certifica-
ta cōſenſit. ⁊ inquit Vadã. Geñ. xxiiij. ⁊ reliquit patrē ⁊ matrē tranſiuit in terrã alienã: ⁊ adhe-
ſit ⁊ obediuit illi iuxta mandatũ dñi. ꝓut viderat a Sara. id eſt matre mariti ſui videlicet vxo-
rē Abꝛae que duxit illũ dñm ſuũ. Geñ. xxj. Hoc igit̃ matrimonij ſacramentũ multis eſt figu-
ris diuinitus ⁊ humanitus tã multipliciť gloꝛificatũ: ⁊ videbať in glorioſiſſima virgine Ma-
ria cũ Joſeph ſuo curatore. et Elyzabeth cũ Zacharia ⁊ pluribus ſanctis hominibꝫ ⁊ cũ timo-
re dñi contractũ ⁊ ſolennizatũ. ſed in his diebus noſtris ad quos ſeculoꝝ peruenerũt fines. j.
Coꝛ. x. Pꝛoch doloꝛ tã viliter. deceptoꝛie: necnō irreuerēter videť cōglutinatũ ꝙ nō immerito
proles in tertiã et quartã generationē patiť maledictionis diſpendiũ. ⁊ inſuper tã leuiter incōſi-
derate ⁊ ꝑſumptuoſe per iudices ſeculi: maxime in foro ſpirituali. ⁊ ꝑſertim in Conſtantieñ. ⁊
circũuicinis dyoceſibꝫ cōiunguntur homines voluntate. ritu. moribꝫ. ſtatu. conditiōe quoqꝫ diſpa-
res. Hoc admirando ſuis oculis viderũt ⁊ murmurando dixerũt viri periti ſſimi tempꝫe conci-
lij Conſtantieñ. ibidē celebrati. de anno dñi. M. cccc. xvj. ⁊ ſequētibꝫ copioſiſſime de omībꝫ eccle-
ſie catholice finibꝫ congregati: ꝙ nunqͣ viderint regionē. regnũ. terrã. ꝓuinciã vel dyoceſim in
quibꝫ tot per ſingula tempoꝛa moueren̄t cauſe matrimoniales ſicut in cōſiſtoꝛio curie Cōſtan-
tieñ. Dixerũt autē Aſtronomi ibidē ſimiliter congregati ꝙ ſicut ytalia que in ſe Lombardiã.
Tuſcaniam et Romandiolã ſub regimie necnō dñio dominãtis infuſione Martis bellicoſi-
ſiſſimi planete videť coangariata. ⁊ Burgundia. ſub Saturno. ſic regio et regnũ Sueuie in
qua continet̄ dyoceſis Conſtantieñ. principaliter latiſſime ſit neceſſitata: ſub lubꝛice luxurio-
ſeqꝫ veneris dãnatione vt dirigat ſimile ſimili ad opus naturaliter increatũ copioſiſſime. Et
audi rem geſtã in iam dicto concilio Conſtãtieñ. et tꝑe Sigiſmundi Romanoꝝ regis. expoſt
imperatoꝛis ibidē exiſtētis. Quidã romanus notabiliter clericus inter alias natiōes multas
ibidē ꝑſeuerans: videns tantã copioſam mulierũ pulcerrimaꝝ multitudinē ad opus naturale
ꝓpoꝛtionatã: dixit mirãdo ad quendã canonicũ eccl'ie Cōſtantieñ. ſibi quondã in Romana cu-
ria notũ: in deſpectũ deriſiōis Alemanoꝝ odioſe vituꝑãs. Ecce vr̃e mulieres ſiue ſint filie vel
matres ſunt oēs meretrices. Et ille canonic⁹ illico rñdit (qm̄ cert⁹) et ecce vos viri Romani
⁊ ytalici cōmuniter eſtis macarelli ſiue buſurones maledictiſſimi. ⁊ inter vos mulieres hone-
ſte ꝓpter crimīa veſtra in deſpectũ veſtrũ quãdocũqꝫ ꝓũt ſunt infinite meretrices. Dicunť autē
macarelli ſiue buſurones viri ſodomite ꝯtra naturã peccantes in ytalica lingua. qm̄ ꝓpter cri-
minis enoꝛmitatē hoc nephas hoꝛrendũ in noſtro latino nō habet ꝓpꝛiũ vocabulũ ſed accō-
modatũ: licet ſit antiquiſſimũ. de quo dixit Joſeph per fratres ſuos relegatus ⁊ venditus in
egyptũ foꝛe crimē peſſimũ. de quo dicit impatoꝛ Juſtinian⁹ in autē. de pctō ꝯtra naturã dũ de-
eo diciť ꝙ aer coꝛrũpať. Hãc igiť ipſius canōici reſpōſionē dñi Romanus audiuerat a vituꝑio
mulieꝝ alemanie ꝯfuſus tacēdo ceſſabat. Et nũc reuertamur ad ꝓpoſitũ. Nã dñi de anno dñi.
M. cccc. xxvj. ⁊ ſeqͣntibꝫ fuerã in ſtudio glioſe matris qꝫ ſtudioꝝ Bononieñ. diligēterqꝫ ꝑqui-
rendo vnacũ ſtudētibꝫ ab officiali curie cōſiſtoꝛij epiſcopatus Bononieñ. fuimus notabiliter
informati ꝙ ꝑ illũ annũ nulla ſuꝑ federe matrimonij mota fuerit cauſa. licet interdũ de impe-
dimētis ꝯſanguinitatis ⁊ affinitatis ac ſpũalis ꝯſanguinitatis fuerint altricatiōis. ꝯtentiōis. ⁊ de-
clarationis petitiōes. ⁊ hĩ veritas ꝙ in dictis regiōibꝫ ⁊ ꝑſertim Roma ⁊ ſimiliter in Bononia.
⁊ pleriſqꝫ ciuitatibꝫ alijs puellaꝝ. virginũ. ⁊ viduaꝝ. aliarũqꝫ mulierũ eſt tanta naturalis. arti-
ficialis: curialiſqꝫ cuſtodia ⁊ etiã ꝯſuetudinis diſciplina. vt viris vel iuuēculis eoꝝ nō pateat
nec liceat inhoneſta frequētare cōſoꝛtia. licet interdũ ſecretiſſima fiãt cōuenticula. Sed ꝓut ꝑ-
diximus de partiũ ꝯſenſu: de iure naturali: canōico qꝫ ⁊ ciuili notabiliter ꝑquirēdo. ⁊ in dictis
dyoceſibꝫ minime ꝓut deceret ꝑſcrutato talē ponamus thematis caſũ ꝓut exempla xp̄i foꝛmali-
ter informabãt filios hoīm. ⁊ talis caſus in curia Cōſtantieñ. videť inter peritos multipliciť
frequentatus. ⁊ in romana curia et extra ⁊ in conſilijs nuper Baſilieñ. et quondam Conſtanti-

eñ. fuit per diuerſas ſententias terminatus. Et ecce talis eſt poſſibilis poſitionis apparatus.

**Quidaꝫ clericus in minoribus ordinibus cõſtitut⁹**
eccl'ie collegiate Thuriceñ. Cõſtantieñ. dyoceſis canõicus in ſtudio Vienneñ. Pataυieñ. dyo
ceſ moram trahẽs adamauit quãdã honeſte ꝯuerſationis puellã ſibi viciuã. ⁊ poſt decẽtes huic
cõmertio tractatus cõuenerũt in loco notabiliter ſecreto. et dũ clericus pro carnali copula fer=
nẽter ſtimulat⁹ laboraret. ⁊ ipſa naturaliter inclinata pre verecũdia tñ ⁊ honeſtate ⁊ metu pa=
rentũ intricata ꝯplexaqꝫ renueret. tandẽ ⁊ poſt multa breuitatis benignitate dimittẽda ait. ⁊
ſi cõſenſero ⁊ ꝑ te ꝯturbata. corrupta: grauidataqꝫ. ⁊ quod magis eſt virginitate ⁊ parentũ di=
lectione deſtituta fuero. tu mobilis ⁊ inſtabilis locum mutabis. ad tuam patriam remeabis. ⁊
me pauperculam deſolatam derelinquis. Sed ipſe clericus inquit. Promitto tibi per fidem
meã ꝙ te nunꝙ̃ derelinquã ⁊ ſi placuerit: mecũ in terrã meã liberaliter deducã ⁊ fructus bene
ficij mei vna tecum perpetuo fideliter diſtribuam. ⁊ his ꝓmiſſis puella conſenſit. ⁊ finaliter
grauidata. cum clerico clam receſſit. ⁊ ſibi poſt multa apud eccl'iam Thuriceñ. cohabitauit. et
ꝯſequẽter poſt annos de vicinis mulieribꝫ ꝑcepit. et poſt hoc ſolertius ꝑquirendo confortata:
intra ſe decreuit. ⁊ ꝟba ſibi ꝑ clericũ dicta ruminauit. videlicet Te nunꝙ̃ derelinquã ⁊c̃. ⁊ ꝙ ex
talibꝫ verbis carnali copula ſubſecuta matrimoniũ iudicaretꝰ legittimũ. ⁊ in curia Cõſtãtieñ.
ipſum clericũ canõicũ ad iudiciũ illius curie citari fecit. ⁊ caſum thematis ꝑ libello ꝓpoſuit. et
ipſum clericũ in virũ ſibi legittimũ in forma ſolita adiudicari petiuit. Conſequẽter clericus li
bello reſpondens ait. licet talia videlicet nunꝙ̃ te derelinquã. ⁊ alia lingua cõpatriota per extẽ
ſum dixerim: ⁊ his ꝓmiſſionibꝫ ipſam de terra ⁊ cognatiõe ſua deduxerim. ⁊ tñ inter nos ꝓnũc
ſicut in me pronũc nõ fuit alius voluntatis cõſenſus niſi vt mihi adhereret ⁊ cohitaret ſicut
mulier clerico cohabitare ſolet. nã per relationẽ meã fuit certificata ꝙ ꝑ nullã aliam artem aut
artis facultatẽ ipſam ⁊ me nutrire poſſem niſi ⁊ ꝑſertim per clericalis ⁊ canonicalis ſtatus cõ=
tinuatiõem. attento ꝙ ipſi partes in diebꝫ illis quibꝫ cõuenerãt: neqꝫ expoſt vſqꝫ in ꝑſentẽ dieꝫ
ambe matrimonialiter nunꝙ̃ cõſenſerint: nec de matrimonio contrahendo ſimul ⁊ ſemel vna
volũtate verbo nec facto cõcordauerint. Ad hec aduocatus mulieris reſpondit requiſitus di
cens Dñe iudex ꝓ matrimonio partiũ videtꝰ iudicandũ. ⁊ tutius tanꝙ̃ pro re vtiliori et hone=
ſtiori. ſaniori. ⁊ ſecuriori. ⁊ ꝑſertim ex eo qꝛ talia verba. videlicet nunꝙ̃ te derelinquã ⁊c̃. ꝓprie
inter ſolutã ⁊ ſolutũ carnali copula ſubſecuta ſemꝑ in conſiſtorio Conſtantieñ. pro matrimo=
nio puro vel ſaltẽ ꝑſumpto cõcernitꝰ fore iudicatũ. licite autẽ ꝓut ſtilus Romane curie ⁊ eius
obſeruantia pro iure poteſt allegari. Sic etiã ſtilus ⁊ obſeruãtia curie Conſtantieñ. ⁊ alterius
cuiuſcunqꝫ curie ꝓ iure põt teneri. ⁊ ſi dubiũ eſt per illa verba: nunꝙ̃ (videlicet) te dereliquaꝫ:
carnali copula ſubſecuta qualiter ipſam nõ velit derelinquere. ex hoc hec verba in meliorẽ par
tẽ ſunt interꝑtanda. vt res potius valeat de qua agitꝰ ꝙ̃ pereat. vt le. ⁊ no. ff. de re. iu. In re du=
bia: ⁊ in his que dubia ſunt quod certius eſt tenere debemus. de ſpõ. Iuuenis. multo melius
⁊ certius eſt ꝓmouere ſacramentũ matrimoniũ ꝙ̃ cõcubinatus crimẽ turpiſſimũ tolerare. ⁊ li=
cet de matrimonio ſpirituali contrahendo prout eſt ꝓfeſſio aut ſacri ordinis ſuſceptio. ſit certa
forma in iure deſcripta vt patet. de matrimonio aũt carnali cõtrahẽdo q̃libet patria aut regio
ſeu terra habet ſua verba ꝯſuetudinaria: ⁊ talis cõſuetudo ꝓ lege eſt tenenda ⁊ recipienda. vt
j. diſt. Conſuetudo. ⁊ in talis ꝯſuetudinis virtute ſententia eſt fideliter ꝓmulganda: cũ ꝯſuetu
do ſit optima legũ interpres. de ꝯſue. Dilectus. diuturni eñ mores (niſi legibus ſint aduerſi)
conſenſu vtentiũ approbati. legẽ imitantꝰ. xij. diſt. Diuturni. ⁊. xj. diſt. In rebꝫ. imo ſi tanto tpe
fuerat obſeruata ꝯſuetudo vt nõ ſit in memoria hominũ quãdo ceperit: vincit legẽ. ff. de aqua
plu. ar. l. j. imo binus actus vincit cõſuetudinẽ. vt. xxv. q. ij. Ita nos. ſed hic actus videlicꝫ pro
nunciãdi pro matrimonio per hec verba Nunꝙ̃ te derelinquã ⁊c̃. eſt infinitus ⁊ in infinitũ cõ
tinuatus. ergo ⁊c̃. Aduocatus aũt clerici diligenter requiſitus ait. ⁊ licet in curia Conſtãtieñ.
taliter prout iã dictũ eſt videatꝰ frequẽter ſententiatũ et iuxta formã thematis noſtri vel conſi=
milis. ſed ſi ad curiã Maguntinam vbi flos et ros eſt peritorũ fuerit appellatũ. frequenter vide
mus ꝙ ſi fuerit facta debite diligentie frequentia in contrariũ ſententiatũ. ⁊ iudicij noſtri pro=
ceſſus iudicialiter reuocatus. ⁊ a peritioribꝫ ſubſannatus. ſicut fortaſſis huius collationis ap
paratus a iuriſperitis curie Conſtantieñ. erit deliratus. Nam quia matrimonia ſunt contra=
henda de mutuo conſenſu. hoc eſt de ſenſu ſimul et ſemel habito; et non ꝙ vni hodie placeat et

alteri diſpliceat.vt le.⁊ no.in.c.Tua.de ſpon.Duoꝝ.et licet hodie incipiat placere mulieri.qꝺ
prius nō ꝯſiderauit et viro ſemꝑ diſplicuit:quia ipſe aliud placitū videlicet ſacerdotiū aſſumē
dū ſuo tempore in mēte habuit. Nec eſt rarū in dyoceſi Conſtātieñ.⁊ ceteris vicinis mulierū ⁊
clericoꝝ cohabitatiōis cōcubinatus ꝯtuberniū.⁊ ꝓut patet in themate:ad contrahendū ma=
trimonium:nec cū illa neqꝫ cū alia nunq̄ꝫ habuit ꝓpoſitū.Et ſincerius cōſiderando, tunc patet
ꝙ nec in Auſtria.nec in Sueuia.illa verba vicꝫ Nunq̄ꝫ te derelinquā ſunt ad matrimoniū cō
trahendū appropriata. nec in cōſuetudinē deducta:ſed quelibet patria per cōpatriotā linguaꝫ
ſpecialē ⁊ ꝓpriū modū habet ꝯtrahendi ſolennitatis matrimonij prolationē ⁊ modulationem.
Naꝫ in Bononia dicit̃ ꝓprie iuxta iuris diſpoſitioneꝫ in hunc modū.vt vir primū dicat ad fe
mellā In noīe dn̄i Ego.N.te.A. volo habere in vxorē legitimā.et ipſa ecōtra. ⁊ ego te in virū
legittimuꝫ.adhibitis ad hoc perſonis idoneis ⁊ alijs ſolennitatibꝫ vt euitet̃ viciū clandeſtine
deſponſatiōis.vt de clan.deſpon.Cū inhibitio.Et nūc ꝓcedamus ad rerū experientiā.Nā ſi
in terra noſtra et in dyoceſi Conſtantieñ.int̃ principes. nobiles. ciues.plebeios ⁊ ruſticos in
vere honeſtatis ſtatu ꝯſtitutos.⁊ inter eoꝝ liberos matrimoniū cū ſolēnitate decenti publicē et
in facie eccl'ie.hoc eſt chriſtifideliū aut eccl'ie fideliū penitēcia fuerit cōtrahendū. parentes puel
le nō eſſent ꝯtenti.nec fidē ꝯgruā matrimonio ꝯtrahendo vel cōtracto adhiberēt.ſi vir tn̄ dice
ret ad puellam.nunq̄ꝫ te derelinquā.⁊ ecōtra puella ad virū.ſed parentes aūt conſanguinei vel
affines vel curatores ⁊ tutores ſeu mediatores dicerent. dicāt verba ad matrimoniū ꝯtrahen
dū ꝯſueta.et de terre ꝯſuetudinis vſu frequētata. alioq̄n ꝯſentire nolumus ⁊ cōtractui fidē ad
hibere nō intendimus. dicas igit̃ lingua nobis cōpatriota.Ego volo te habere in vxoreꝫ ⁊c̄. et
puella (ꝓut decet) econtra. ⁊ ſic ſane ſine dolo et fraude matrimonij ſacramentuꝫ videt̃ fore
contractū.et fideliter carnali copula conſumandū. Nā per illa videlicet verba Te nunq̄ꝫ dere=
linquā. ꝯtrahit̃ ſocietas aut cōfederatio inter dn̄m et famulū ac inter dominā et famulā. ſociuꝫ
et ſociū. imo contrahit̃ cōcubinatus inter clericū et mulierē. vt ꝑmittit̃ in themate. Itē inter
nobilē et ruſticā puellā ſolutā vbi al'r videt̃ diſpar cultus ꝑſonarū. Et reuoluendo ſcripturas
legū ⁊ canonū gloſarū ⁊ doctoꝝ.nō reperit̃ ꝙ per talia verba vnq̄ꝫ matrimoniū fuerit ꝯtractū
Sed nūc reuertamur ad curie Conſtantieñ.vſum et ꝯſuetudinē in caſibꝫ matrimonialibꝫ fre
quenter occurrentē in hunc modū. Nam vir vt ſimilis diligit ſibi ſimile.⁊ ꝑſertim ſi pulcrum
eſt obiectū ⁊ inardeſcit naturaliter ad talē perſonā.ſicut quādoqꝫ ex talis ardoris debiti cōcu=
piſcētia naſcit̃ cōcubitus cū perſona ꝯſecrata.aut ſanguine.affinitate.⁊ cognatiōe ſpūali con=
iūcta ad quā ſi dicat vir fructu ventris grauidatā ⁊ mente ꝑturbatā in mere conſolationis be
niuolētia. nō te derelinquā. hoc eſt et ita intelligit̃ in vite neceſſarijs.⁊ partus ꝓcreatiōe ⁊ edu
catione pertinenter oportunis:aut al'r vir potens diues vel abundans.liber et ſolutus ad libe
ram ſolutaꝫ aut paupereulā ad conquirendū eius cōcubitū.et interdū de parentū puelle bona
volūtate:nō te derelinquā.et conſtat naturaliter.experienter ⁊ vſualiter ꝙ vtriuſqꝫ ꝑſone nō eſt
intentio nec cōuentio nec morū applicatio.vt ſimul matrimoniū cōtrahant. et ſi poſt tēpus ipſa
puella de matrimonio iudicialiter ageret cōſummato.quis ſane mentis iudicaret ꝓ matrimo=
nio? Imputet̃ ergo in hoc et alijs caſibꝫ ⁊ incerta ⁊ cōfuſa ipſi puelle. dū potuit verba ꝑdicta
vicꝫ.nunq̄ꝫ te dereliquā.tanq̄ꝫ dubia in clarā ⁊ cōſuetā formā deducere ⁊ nō fecit. Itē dū potu=
it ⁊ debuit quare nō in certā honeſtā ⁊ indubitatā cōditionē dilatauit et expoſuit ac declarauit.
vt le.⁊ no.de condi.ap.De illis.⁊.c.Sup eo.⁊.c.Per tuas.et adhoc ſunt rotundi textus quos
ꝓnunc nō carpit memoria.ſufficit aūt apud antiquos allegare ius.obmiſſo loco iuris vt pro
prie no.in.c.Ueſtra.de coha.cle.⁊ mu.et ſpe.de aduo.circa fi.Et vt frequenter videmus ſi dice
ret puella nō ſum contētus de talibꝫ verbis.ſed dicas patenter ⁊ indubitanter.volo te habere
⁊c̄.et ſi tūc vir talia diceret.⁊ ad carnalis copule cōplementū ꝓperaret.tūc puella videret ꝙ effe
ctualiter ꝑficeret.hos tn̄ dubios ⁊ incertos conſenſus examinatores et tabelliones et conſe=
quenter iudices nō aduertūt.⁊ ꝑſertim in curia Conſtantieñ.manētes ⁊ decipiunt viros ⁊ iu=
uenes.vt dicāt hec verba dixiſſe videlicet te nunq̄ꝫ dereliquā:vel ſi dixerūt.tn̄ animo intentio=
ne contrahēdi matrimoniū nunq̄ꝫ dixerūt. Scriptū eſt em̄.ſi dolus dat cauſam cōtractui vt
ſi te inducā ad ꝑſerēdū vl' ꝯfitendū qꝺ al'r nō faceres:nō valet.ff.de dolo.l.elegāter.ſed hec iu
dices nō aduertūt neqꝫ ponderāt.ſed pro matrimonio iudicāt.et q̄nqꝫ ſic corpus et animā dā
nant. Uidetur etiam quandoqꝫ ꝙ vir pro puella procat:et veneris ſolatio ſollicitat.et natura=
lis pruritus puellā ſtimulat.quibus concurrentibꝫ et choruſcantibus ac conuenientibꝫ tanq̄ꝫ

inſenſati cõcubitũ ꝑficiũt. ⁊ nullius honeſtatis publice vel occulte memoriam reſumũt. Naꝫ ad ꝓpoſitũ legit̃ de Pamphilo de huius certaminis prelio inter ipſum ⁊ Galatheam dũ dixit. nos modo paulisper quieſcere cõuenit ambos. dũ facio curſu noſter anhelat equus. Et dixit ille venerabilis Boe. li. i. de conſo. Quid de corporis voluptatibꝫ loquar: videlicet incõtinentia lubrica. quaꝝ quidem appetitus plenus anxietate. ſatietas vero plena penitentia. Hec ille. Et ſic extincto furoris pruritu reſtauratoqꝫ quinquageſimo ſenſu puella volens honoris et honeſtatis ſtatũ reſtaurare. et ꝓpter parentũ ſuoꝝ metũ monet cauſam viro ⁊ dicit ꝑ iuramentũ de hoc quod nunq̃ꝫ fuit intentatũ. Et nũc reuertamur ad ꝓpoſitũ. Nã expreſſe dicũt iura q̃ verba ſunt ſm mentẽ ꝓferentis intelligẽda nõ eñ intentio verbis, ſed verba intentioni debent deſeruire. vt le. ⁊ uo. de ṽ. ſig. In his. et verba nõ accipienda ſemper ſunt vt ſonãt. xxij. q. i. Paratus. et deus nõ iudicat verba ſed intentionẽ ꝓferentis. xxij. q. v. Humane. ⁊ igit̃ verba ſunt inſtituta vt eis quiſqꝫ in alterius noticiã cogitationes ſuas ꝓferat. xxij. q. ij. Jo autẽ. et ſepe cõtingit et talit̃ vidi fieri q̃ ſcolaris paup̱ vel diues ad ſacerdotij dignitatẽ ꝓcedens aut beneficiatus abundãter dicat ad mulierẽ philocaptus verba p̃notata. vbi conſtat patenter q̃ contrahere nõ intendebat. q̃a foret cauſa ſue deſtructiõis. Sic etiã in pluribꝫ alijs ſolutis: diuitibus aut potentibꝫ ꝑſonis: put p̃ tractũ eſt. Vñ dicũt doc. in. c. Tua duduũ. de ſpon. Duoꝝ. prius allegato q̃ matrimoniũ ↄtrahit̃ ſolo ↄſenſu q̃ ſolus ſi defuerit. etiã ipſo coitu celebrato fruſtrantur omĩa. Item ex quo vir cõſentit ꝑ verba de p̃ñti in mulierẽ. maritali affectu. ⁊ taliter ecõuerſo in virũ ſeu ṽbis cõſuetis. ſcꝫ Accipiã te in meã vxorẽ. ⁊ ecõuerſo illa reſpõdet. Et ego te accipiã in meũ virũ. vel ſic. Volo te habere de cetero in vxorẽ. ⁊ illa econuerſo: vel q̃buſcũqꝫ alijs verbis vel ſignis vel nutibꝫ exprimit̃: ſtatim matrimoniũ eſt cõtractũ. Et hoc ideo dicit̃. quia ſurdus ⁊ mutus poſſunt cõtrahere matrimoniũ. vt in dicto capl'o. Tua dudum. Verũtamẽ ⁊ ſi loqui poſſunt cõtrahentes neceſſaria ſunt verba quãtũ ad eccleſiam cõſenſum mutuũ clarũ ⁊ indubitatũ exprimẽtia. Et hec meus doctoꝝ prout notant̃ in ſtudio notabili Bononieñ.

Ad conſuetudinẽ autem per partẽ aduerſam multipliciter allegatã. dicamus q̃ licet ſit cõſuetudo iudicũ curie Cõſtantieñ. taliter pronũciandũ: vt in thematis ꝓpoſitione. attamẽ nõ eſt cõſuetudo in moribꝫ vtentiũ ⁊ volentiũ matrimoniũ ↄtrahere in ſincera veritate. vt ꝑ p̃dicta ṽba. videlicꝫ nunq̃ꝫ te derelinquã: quouiſmodo ↄtrahãt. ex quo ⁊ prout ex p̃dictis patꝫ q̃ matrimoniũ nõ debet claudicare. nec dici põt q̃ ſit mos taliter matrimoniũ ↄtrahendi: cũ mos ſit q̃litas proueniens ex iteratis actibus. vt de pe. diſt. ij. c. i. dicit̃ eſſe mos lõga ↄſuetudo. vt diſt. i. Jus generale. ſed hec ṽba videlicꝫ. Te nõ derelinquã nec vſu nec moribꝫ ſunt introducta ad cõtrahendũ talia ſacramenta. De tanti aũt ſacramẽti leui penſiõe dicit Hugo de ſctõ victo. in quadã collatione. Mulier volens ollã de terra figulatã pro ſolo denario cõparare: manibꝫ pulſat ⁊ ſonũ reſonãdo multipliciter ꝓbat: ⁊ eius integritatẽ ſtimulat. ne tã vilis p̃cij cõmoditatẽ ꝑdat. ſed vir mulierẽ ſibi ꝑpetuo copulandã. ⁊ indiſſolubilit̃ alligandã ſine proba recipit. ⁊ ſepe ſe ſimiliter ⁊ ipſam irreuocabiliter decipit. Hec ille. Et hoc fortaſſis ꝑpendẽtes filij hui⁹ ſeculi prudẽciores in ↄglutinãdo ſibi ſarcinã ꝑpetuã videlicꝫ vxorẽ prius ꝓbare p̃tendũt anteq̃ꝫ ſe tanto ligamĩe et põdere et vinculo ↄcludant. ⁊ ſic ſepe cõtingit q̃ in tali proba cõiungunt̃. ⁊ amoris languore naturalit̃ infatuant̃. ⁊ tanq̃ꝫ furioſi ſimiliter ⁊ amẽtes luctant̃. Vñ dixit Azo in ſum. c. de adult. Dũ furor ille venit: nemo ſecur⁹ erit. ac ſi diceret In hoc neruoꝝ violẽti certaminis bello: nullus diſcretionis intellect⁹ viut̃ ratiõis remedio. Qd̃ ⁊ ſcũs Paulus ꝑtimuit: ⁊ matrimoniũ nõ cõtraxit ⁊ virgo ꝑmãſit. vñ ſanctoꝝ viroꝝ ↄuerſatio de mulierũ cõſortio: ne inſanirẽt. ⁊ ↄſcientia tabeſcerẽt. ⁊ ſincerũ animũ nõ cõtaminarẽt. ad deſertiſſima loca ſe diuerterũt. ⁊ etiã alioꝝ hoĩm loca penit⁹ declinauerũt. Et ideo Areſto. hui⁹ certaminis inuaſionẽ aſſeruit fore furorẽ. Nã ſathana colaphizante generat ſepe mortis ſtridorẽ. Unde mgr̃ Raſis almõſoris monarcha medicoꝝ nomĩat hũc furorẽ amorei reũ. id eſt amorẽ ereũ. ⁊ ſicut eris metallũ habet ſonitũ ⁊ nõ intellectũ. ſic taliter inuaſus nihil agit qd̃ ſit ad prudentie virtutẽ directiuũ. Nomiat̃ etiã morbus cõtagioſus ſicut eſt lepra ſcabies. morphea vel peſtilẽtia. q̃ ab homie in hoiem latẽter repit. ⁊ nunq̃ꝫ mulierẽ videret ꝑpetuo hoc morbo careret. Hui⁹ cõtagionis infirmitas patebat in Dauid cũ Berſabee ⁊ filio ſuo Salomone: ⁊ infinitis ſapiẽtibus hui⁹ ſeculi circũuentis in mulierũ cõtemplatiõe. ⁊ facili⁹ in diebꝫ nr̃is in q̃bus ſunt hoies in oĩni diſcretiõe fragiliores. ⁊ nõ eſt nouũ. Nã olim rex Bohemoꝝ proauus Sigiſmũdi impatoris tali morbo cõtamina

tus ſibi matrimonialiter cõiunxit filiã lotricis: ſic nup Ludouicꝰ dux bauarie ſiſr cõiunxe
rat filiã vniꝰ paupeculę: ſed ibidẽ ↄſenſus vtriuſqꝫ: licꝫ q̃ ad viros effaminatꝰ pater interuenit.
Sꝫ ad ꝓpoſitũ redeamꝰ. videt ꝙ in diebꝫ nr̃is ſic ut antiq̃s ſup federe matrimonij ad iudiciũ
ↄſiſtoriũ cõuolãtes. vt plurimũ ſunt ꝑſone iuuenes. leues adoleſcẽtes. ⁊ inſipiẽtes parit. aut ab
vna ꝑte ad minꝰ nõ nimiũ abũdantes. pedibꝫ trotantes: ⁊ habitu ſimplici vel ruſticali ꝓcedẽ
tes. ⁊ raro vel nunq̃ꝫ comites vel barones aut nobiles ſeu ciues elegãtes honeſtos vl' prudẽ
tes. aut ab vtraq; ꝑte multis diuitijs pollẽtes. ſeu curribꝫ q̃drigis ⁊ eq̃s gradientibꝫ incedẽtes
in hoc iudicij foro de federe matrimonij ↄueniãt cõtendẽtes. Nã grauitas morũ, honeſtas cõ
uerſationũ. veritas v̓borũ. ⁊ fides promiſſionũ plus eſt in potentibꝫ ⁊ diuitibꝫ q̃ꝫ in edia gra=
uatis pauperibꝫ. Vñ poſt multa cõcluſi in li. de nobilitate capit. antepenultio illa q̃ iam ꝓdi=
ximꝰ. ⁊ ſup hoc igit dicit. ꝙ illud vicꝫ qđ habet dictũ a chriſto. Matth. v. Beati paupes: qm̃
ipſorũ eſt regnũ celoꝝ. videat falſiſſimũ. Nã ꝑ ſingulos dies diuites ⁊ potẽtes eminũt: cõparant
a pauperibꝫ ꝑ ſuas elemoſynas regnũ celoꝝ: qđ ſi foret vna villa de oĩbus domis nõ remane
ret ipſis vna ſola tegula. Et ſic iterũ ad ꝓpoſitũ veniamꝰ. Voluũt iura ꝙ dormiẽtes ſi pretendẽ
bant ante dormitionẽ baptiſari vel ad ſacros ordines promoueri in veritate dormiẽtes infra
actũ baptiſmatis vel ordinatiõis recipiũt baptiſmũ vel ordinis ſacramentũ. vt le. ⁊ no. de bap.
⁊ eius eff. Maiores. Sed nullo iure cauet: nec aliquo caſu reperitur ꝙ dormiẽtes aut furioſi
ſeu amentes: ebrioſi vel infantes facere poſſint aliquid actũ ſiue contractũ legitimũ iuris au=
ctoritate cõfirmandũ. nũc diſcernamus cuiꝰ conditiõis fore debent homĩes tam glorioſũ ſo
lemne. ⁊ indubitatũ ſacri matrimonij ſacramẽtũ cõtrahere volẽtes: qđ baptiſmatis ordinis ⁊
ſacramentorũ omniũ fuit initiũ ⁊ fundamẽtũ. ⁊ igit quibꝫ verbis: quo ãio. qua intentiõe cõ=
trahere volẽtes cõueniant. ⁊ vtrũ ſint furioſi vel amẽtes: put p̄mittit hoc ꝑ iudices ⁊ examina=
tores. magna diligẽtie ſolertia foret ꝑluſtrandũ: Nã ad propoſitũ videt in experiẽtia rerũ ma=
giſtra ꝙ in regno Hybernie plus ceteris nationibꝫ ſunt homĩes de illegittimo thoro procreati
⁊ hoc patꝫ ꝑ ſingulos dies in Romana curia ſup defectũ nataliũ diſpẽſatiões. vt ad ſacros or
dines poſſunt ꝓmoueri reportãtes. ⁊ req̃ſiti ſup illegittimi thori ↄſuetudinis ⁊ vſus cõtinua=
tione. reſpondẽt in effectu. ⁊ q̃s homo liber natus vult volũtarie ſe obligare. ⁊ tanto põdere ſe
grauare: vt ſarcinã matrimonij: doloris ⁊ cure ſeu furoris aut ꝯplexionis continue plenã aſſu
mat intricatã. Sed tamẽ huiꝰ maledicte cõſuetudinis vſum ſedes apoſtolica nõ approbat. ſed
indiſpenſatiõis littera patent cõdemnat. Fateor tamẽ ⁊ patet ꝙ ſepe ad cõtrahendũ homines
matrimonij vinculũ inducunt aut cõpellunt ſeu ſeducunt ſi manſiſſent ſoluti minꝰ infernalis
aut purgatorij ſuppliciorũ penas paterẽtur: cum ſimplex fornicatio ſcđm iura noſtra int mor=
talia minimũ ſit delictũ. Vidimus inſup in diebꝫ nr̃is ꝙ viri per verba: put premittit videli=
cet. Nunq̃ꝫ te derelinquã decepti ad matrimonij vinculũ ꝑ ſententiã cõpulſi ſciuerũt ſe nõ con
ſenſiſſe. ⁊ de terra receſſerũt. ⁊ amplius illas mulieres nõ viderunt. ac ſi dicerent. Intentio iu=
dicat omẽs. vt illi qui in ſua cõſciẽtia ad ſolutionẽ indebitã ꝑ iudicis auctoritatẽ condemnant
⁊ vt cenſura nõ cõꝑhendant iudiciũ fugiũt. Hoc etiam ſepe cõtingit per iniqui iudicis odiũ
durũ verſus vnã partẽ prouocatũ. ⁊ igit in aĩe ſue maledictionẽ ꝯuertit iudiciũ. ⁊ talis taliter
inique cõdemnatus. ad tribunal oipotentis prouocat. huic tamẽ conſilio nullus adherere pre
ſumat. Item videmus ꝙ mulieres alique bona cõſcientia mote: cernẽtes in examie viros fore
mẽdaces. ⁊ vero legittimo matrimonio cõtradicẽtes. ꝙ ipe tamẽ fidẽ ſeruare volẽtes in vita vi
ri in aliũ virum nõ fuerũt cõſentientes. Vidimus inſup in curia Conſtantieñ rariſſime viros
ipſas mulieres iudicialiter in cõſiſtoriũ ſup matrimonio petẽtes. ſed cõmuniter ipas mulieres
ſeu femellas viros impetẽtes. ⁊ quãdoq; duas vel tres mulieres vnũ virum ſimul ⁊ ſemel in
virũ legittimũ ſibi ⁊ q̃libet inſolidũ poſtulãtes. ⁊ hoc videmus diſcipline diſcretionẽ terre nr̃e
mulieꝝ a femineo ſexu totiꝰ ytalie: put p̄mittit multũ diſcrepantẽ. hec etiã terre nr̃e mulieruꝫ
diſſolutio. tñ frequter ruſticos ⁊ plebeios infamat. ⁊ put p̄mittit in furorẽ cõculcat ꝙ ſenſibꝫ
p̄uant: diſcurrũt ſicut canes rabidi. ⁊ ſe putãt ſe fore maleficiatos ⁊ arte ſtregarum intoxica=
tos. ſed in veritate nõ aliud niſi pront prediximus ille morbus cõtagioſus: videlicꝫ Amoreire
us quo per prudentẽ cõcernit cõtaminatus. Item put ſcripſi in libro de nobilitate p̄dicto. in. c.
de p̄ncipibꝫ poſt Joh. an. qui vidit religioſos preſertim ordinis mẽdicantiũ in epiſcopos titu
latos frequẽter ꝓmotos. Ecce inq̃t ſubtilis modus apoſtatizãdi. nã cũ epiſcopatꝰ ſint titulo co
gunt facere ſue quoq; ꝓfeſſionis. ⁊ ſiſr de ordine ſuo mẽtionẽ: ⁊ nihilominꝰ ↄſeq̃nter ad ob

ſeruantiā tenent᷑: ſed terribile crimē apoſtaſie cū religiōis obſeruatiōe patētis abiectione etiā im
palliata ſymonia cōtinue cōmittunt. ſic ad propoſitū videm᷒ in curia Conſtantieñ. ⁊ forte cir
cūuicinis vnū ſpolij ſeu rapine multū ſubtile delictū in cauſis matrimonialibꝫ preſertim ⁊ ali
qñ in alijs caſibꝫ ſine dei timore miſerabiliter frequētat᷑. nihilomin᷒ tn̄ ad tribunal extremi iu-
dicis in die ire ⁊ calamitatis ⁊ miſerie horribiliter ꝑducendū. Nam añ cōciliū Conſtantieñ.
p̄dictū in cauſa matrimoniali ꝑ vnā partē vel ꝑſonā. ſi ſe abſentabat cauſa pēdente fuit facta
ꝓcuratorij ꝯſtitutio. p qua cōſtitutiōe ſoluebat ꝑs q̄ttuor denarios Cōſtantieñ. ⁊ breuibꝫ ver
bis ad ſex vel ſeptē lineas ſe ꝑtendebat in actū ⁊ verū effectū ſufficient᷑ ad oēm oportunitatē cōti
nebat. Nūc aūt ⁊ lōge poſt cōciliū vidētes notarij nr̄e curie Cōſtantieñ. Romane curie ſtilū
in hoc vtiꝗ lucroſū. licꝫ aīabꝫ ꝑiculoſū ⁊ ad inſtar illoꝝ primū faciūt totā proſā cōſtitutio
nis ad latitudinē veri inſtrumēti. ⁊ expoſt ponūt tenorē tot᷒ inſtrumēti: qđ nunꝗ̄ viſū eſt in
carta: aut ꝑgameno ſeu forma inſtrumēti ⁊ rerū natura. ⁊ hoc cū infinitiſ clauſulis in ꝓncipali
ꝯſtitutiōe nunꝗ̄ excogitatiſ. imo nūc ⁊ in futurū nunꝗ̄ oportunis. ⁊ has ⁊ alias ſcripturas ꝑten-
dūt in pluribus cartarū folijs: vt ſimpliciane ptes innocētes ⁊ nō intelligētes ſine dolo ⁊ fraude
cōparētes ⁊ ꝯtendētes cū rapina p̄dicta maioribꝫ grauent᷑ expēſis. ⁊ q̇s dubitat q̇n in hoc ſpo
lia multa ⁊ pctā cōmittāt infinita: in miſerabiliū ꝑſonaꝝ dāna. ⁊ al's de ꝟbis ocioſis ⁊ inutili-
bus faciūt libros ⁊ regiſtra copioſa ⁊ captioſa. Et ſi iuxta veritatē euāgelicā q̄ nō peribit. etiā ſi
celū ⁊ terra pereāt. q̄ dicit Matth. xij. de q̄libet verbo ocioſo reddenda eſt ratio. O q̄ terribilē
rōnis calculū reddēt nō tm̄ tabelliōes ſed etiā iudices facientibꝫ ꝯſentiētes. ⁊ inſuꝑ de talibꝫ ſpo-
lijs. rapinis ⁊ exactiōibꝫ portionē recipiētes. ⁊ inſuꝑ qđ crudeli᷒ eſt: ꝑut dīc vicari᷒ dñi nr̄i ie-
ſu xp̄i ⁊ regula iurꝫ. li. vj. nō dimittit᷑ pctm̄ niſi reſtituat᷑ ablatū. ⁊ hec regula null᷒ excuſatiōis
exceptiōez tolerat niſi in eo q̄ nō habꝫ vnde ſoluat. Et hi oēs ſcribe ſil'iter ⁊ reliq̄ in cōſciētia ſi
bi nō formāt vt alicui reſtituāt. ſꝫ ſtant vt in ſuis pctis moriuntur deficiāt. De iudicibꝫ aūt male
iudicantibꝫ q̄ ⁊ falſarij dicūtur nuper terribilē ſpecialiter feci collatiōis tractatulū qui incipit
Gyrū celi circuiui ad honorē ſed potius ad horrorē magiſtri Matthei Nythart odiū durū
prepoſitū Thuriceñ. Sed vltra procedamus ad materie principalis explanationē. Nam ꝑ-
ſone taliter cōtendētes tanꝗ̄ ſimplices ruſticani obtēta ſententia pro vl' cōtra. putāt ſe penit᷒ fo-
re purgatos. aut interdū appellant. ⁊ magnis laboribꝫ ⁊ expēſis grauamia recipiūt. ⁊ inſuꝑ re
ſtat vt ꝓcuratoribꝫ ꝓ modico labore multipl'r ſatiſfaciant. hinc ſperātes ſe liberatos remittunt᷑
vltra ad pellipparios. hoc eſt pelliū albaꝝ cerdones: q̄ dicunt᷑ wyſzlederer. hoc eſt ad ſententiariū
ſcꝓtores q̄ ꝑ albas pelles: hoc eſt ꝑgamenū: faciūt nouas corroſiones. q̄ corroſiōe ꝑpeſſa: putā
tes ſe penit᷒ immunes cū illa pelle: vlterius dirigunt᷑ ad ſpiculatorē. hoc eſt oīum priorū exacti
onis. corroſiōis. tonſiōis. ſpoliatiōis. ꝑturbationis. ⁊ flagellationis vltimū executorē quē vo-
cam᷒ ſigillatorē: ſed potius ſugillatorē q̄ per nobiliſſime cere inſtillationē ſeu cōglutinatiōez fa-
cit duriſſimā punctiōis colliſionē. ⁊ molliti ſunt ſermōes eius ſuper oleū: ⁊ ipi ſunt iacula. vtle-
git᷑ per Pliniū philoſophū de vermiculo quē noīam᷒ terebronē. de cuius natura tales ponū-
tur ꝟſus. Vermiculus ligni terebro vel terebellus. Qui terebat ligna duriſſima carne tenella.
Dum tāgit nil durius eſt hoc verme puſillo. Sed ſi tāgatur nil vnꝗ̄ mollius. Sic ſigillator
molliſſima cera: dulci verbo: ceterū ſtimulatoribꝫ ſtimulat durius ⁊ ſugillat. ⁊ hoc rarū foret
in Romana curia. Nam bullatores qui pape ſunt ſigillatores. etiā quorumcūꝗ alioꝝ prela-
toꝝ ibidem ſigilli ꝓſores nunꝗ̄ videm᷒ ſcriptorum taxas excedētes. Sed terribilius eſt in
noſtra curia Conſtantieñ. vbi bullator in duplo vel triplo ſeu vltra ſcriptores ꝓcellit in taxa.
Vñ in cōcilio Baſilieñ. circa finē inter quattuor deputatiōes fuit cōcluſum. licet ꝓpter receſ-
ſus ⁊ diſſolutiōis ad preceptū Romanoꝝ regis importunitatē nō fuerit decretatū ⁊ publica
tū in tali vl' in effectu ſimili forma. Ex ꝑ omēs eccle catholice p̄latos archiepiſcopos ⁊c̄. vſꝗ
ad infimos. de ſigillo nulla fieret pēſiōis aut exactiōis ſolutio ſed gr̄tis daret᷑ ſic̄ ſacroꝝ ordinū
⁊ alioꝝ ſacr̄oꝝ collatio. ⁊ ſub excōicatiōis pena. ꝑut de cetero puniri debebat p̄uitas ſymonia
ca. ⁊ dixit vn᷒ de p̄ſidentibꝫ. habebat ꝗ ep̄s min᷒ de familia vno famulo ⁊ eq̄ vt emat cerā ꝓ ſi
gillo. qm̄ ē magna rapīa de tā modico labore ⁊ exili cera. tā inſolita exhaurire ꝓcia. Et nūc ad
ꝓpoſitū redeam᷒. vñ q̇dā ruſtican᷒ veniēs ab alpibꝫ in cā m̄rimoniali cōpulſus ⁊ exactiōibꝫ ꝑ
miſſis ſibi nō ꝯſuetis acrit᷑ flagellat᷒. ⁊ ad ſuates reuerſus recitās rē geſtā ⁊ finalit᷑ inq̄t. ⁊ dū ꝑ
oīa credebā fore plan᷒ ⁊ fui patiens: ſed vltra ad pellipparios. ꝑ q̄s deſignauit albaꝝ cartarū ⁊
pelliū ſcriptores q̄s alia lingua cōpatriota. Und do ich vnder die wyſzlederer kam. vicꝫ ſcri-

ptorea ⁊ ſcriptura℞ ſigillatores: fui totus excoriatus. ꝑut ſanctus Bartholome⁹. ⁊ nō mire=
ris ſi ꝟba vulgaria ſcribim⁹. nam ⁊ ſumm⁹ pontifex taliter ꝓcedit in ſuis decre. vt patꝫ de vi.
⁊ ho.cle.li.vj. ⁊ in Cle.vlt.de here. ⁊ pluribꝫ alijs. Et ad ꝓpoſitū redeūdo. Leua in circuitu ocu
los tuos ⁊ vide. oēs iſti cōgregati ſunt ⁊ nō nouim⁹ quo ꝑuenīūt. Nā de oīm ꝑdictorū expolia
torū bonis taliter ꝑut ꝑmittit᷑ acqſitis vix gaudet terci⁹ heres. vide vbi ſunt liberi vel filioꝝ fi
lij in terciā generationē de oībus ab antiquo ſcribis ⁊ phariſeis. procuratoribꝫ ⁊ ſcabinis. ad=
uocatis ⁊ Jebuſeis: cū oībus curie Conſtantieñ. plebeis q̄ florcant in ſuorū ꝓgenitorū diui=
tijs. ⁊ ſi viuūt ꝓpter vulgare cōmertiū dubitam⁹ an ſint de vera linea deſcēdentes vl' collatera
les: ⁊ ſic fructū eorū de terra perdes. ⁊ ꝯſequēter oēs in vnū pauꝑ ⁊ diues trāſibunt vel tranſie=
rūt in ꝓfundū vt lapides. ⁊ qs nouit vtrū eis de᷑ requies aut infernalis cruciatus ignis ⁊ ca=
ligo. ⁊ nihilomin⁹ in ꝑdicta curia Conſtantieñ. qſi pronūc ſunt in duplo ꝑſone plures q̄ȝ ante
cōciliū Conſtantieñ. ꝑdictū fuerint curiales de lucro taliter ⁊ qualit᷑ indiſcreto ⁊ labore modi=
co de pauꝑeꝝ peculio in ſudore vult⁹ ſui cōgregato ſe tā delicate ꝯtinuo nutriētes. Sȝ de oībꝫ
ꝑdictis terroribꝫ ſingularit᷑ annūeratis nemo corde cōpungit᷑: vt a dictis ſollicitudinibꝫ refre
net᷑. ſed vt dic' Plini⁹ ꝑdict⁹ vbi ferarū vel piſciū frequēti⁹ agitat᷑ captura. ibidē celebri⁹ ipſorū
ꝯcurrit ꝯgregatio copioſa. ſic dyabolus illic freqn̄tius ſua ꝓtendit rhetia. qꝛ cōſueuit ꝙ illic in
multaꝝ aīaꝝ ꝓficit illaqatura. Et cōīter oēs in iudicijs forēſibꝫ ſiue tēpalibus oratores aduo
cati ſeu ꝓlocutores iuſticiā ꝑuertētes vident᷑ finalit᷑ male degētes. ¶ Eſt ⁊ aliud huius cōcur
ſus ⁊ ꝯuolutiōis brauiū magꝭ effectiuū. Nā mulieres ⁊ puellule in curia Conſtantieñ. ſepi⁹ ꝓ
ſpērant᷑ in ſue volūtatis intentiōe in ꝑdictoꝝ verboꝝ vicꝫ nō te derelinquā: aut ſilibus interꝑ=
tatiōis largiſſima dilatatiōe. qa ſcriptū eſt. vbi corp⁹ fuerit: ibi cōgregabunt᷑ ⁊ aquile. Matth.
xxiiij. De ꝑdictorū autē curialiū aulicoꝝ: ⁊ etiā Romane curie curtizanoꝝ piculoſis curialita
tibꝫ ſcripſi latius in quodā tractatulo ad mādatū dn̄i vicarij Cōſtantieñ. cōpilato: q̄ intitulat᷑
de eccl'iaſtice libertatꝭ ꝓuilegio. de qbus oībus hos recipe ꝟſus. Nūc theolonij collector dur⁹
amator. A ſuo dn̄o: ſed raptor ſepe ꝓbat᷑. Inter oppreſſores ſic pauperuȝ dire locat᷑. In illa die
dū iuſt⁹ vix reparat᷑. Tabellio: ſcriba: cur his nō cōglutinat᷑. Pōtificis ſignifer: mox illis ꝯglu
tinat᷑. Et ſilr̄ pena tyrāni rite plagat᷑. Ecce nūc ꝑncipalis materie finē faciam⁹. ⁊ his oībꝫ ⁊
ſingulis taliter qualiter ꝑnotatis. mihi videt᷑ ſimpliciano (nihilominus tamē correctiōis ma
ioris examīe ſaluo) ꝙ ex his ꝟbis videlicȝ. Nō te derelinquā. aut in effectu ſilibus aut alijs:
clarū matrimonij cōtractū: prout ſeruat᷑ notabilit᷑ in alijs forenſiū aut ꝓphanarū cauſaruȝ: aut
negociorū cōtractibꝫ cōſenſum nō clare apphendentibꝫ: matrimonij vinculū nō iudicet. ⁊ pre
ſertim exeo cū dicat iudex. Chriſti nomie inuocato tā faciliter chriſtifideles pariter nō cōſen
tientes cōiungat. ⁊ impatientes naturalit᷑ pacificos faciat ⁊ hoc lupus cū agno probat. ¶ Hec
igit᷑ ſcripſi nō vt ita maneāt ⁊ effectus efficaces in iudiciorū cōſecutiōe ꝑducant. ſed vt incitē᷑
anim⁹ ⁊ iuriſperiti ſolertia cōuenietius ad emēdandū. corrigendū. minuendū. necnō apponē=
dū quod ſibi videt᷑ cōuenientius. Nam hec oīa vident᷑ fieri leuius q̄ȝ de nouo cōponere radi=
citus. ſicut ruinoſa dom⁹ reſtaurat᷑ citius ⁊ reedificat᷑ cōgruentius q̄ȝ ſi ſine fundamēto plana
terra fundaret᷑ primitius. attēto ſi contractū mutui aut emptiōis vl' vēditiōis ſeu pmutatiōis
alicuius rei vel vni⁹ magne poſſeſſiōis facere ſeu celebrare diſponeres. O quot qn̄tas ⁊ q̄les
ſubtiles cautelas ⁊ clauſulas diligēter apponeres. quos etiā dudū tetigit Guil. du. in ſpe. iuris
in tit. de emptiōe ⁊ venditione. ⁊ hic ſacramentalis contractus qui in ſancta ⁊ nobilitate: im=
mo prioritate precedit omēs mundi cōtractus. quare non in edificando ſeu inſtaurando ha=
bēt cōtractum poneremus ſinceriorem diligētie immo cōſcientie radicamin. Et rogo ne aui=
ma tua dormitet pretedio modicū exemplū audiendo. ¶ Fuerat in ciuitate Ferrarieñ. quidaȝ
magiſter in harphatū armonia italie totius monarcha precellentiſſimus. ſed erat tante ſingu=
laritatis in ſe. aut animi contumacis audacia ꝙ nō ad voluntatem principis ibidem videlicȝ
Marchionis Aſteñ. al's Ferrarieñ. vel alterius cuiuſcunqꝫ deprecantis ludebat in harphis.
fuit tamē modus ſubtiliter inuētus ꝙ ad ſonandum fuit irritatus. Nam talis fuerat nature:
quādo quecunqꝫ male ſonantē in harphis audiebat: ſe cōtinere non poterat: quin illico violē
ter inſtrumētū hoc arripuit ⁊ artis ſue ſimphoniā dulciſſime pagebat. Sic ad ꝓpoſitū vt hu=
ius male ſonātis oda. necnō diſſonie diſſonātis corda prouocet iuriſperiti ꝯcordia. vt ꝓ bono
cōmuni necnō pro republica de ꝑſentis multū vtilis excitatiōis quotidiane ⁊ queſtiōis mate
ria elucēſcat veritas q̄ chriſtus eſt legalis ⁊ ſolēnis experiētia. Naȝ dixit propheta ꝙ vexatio

acuit ingeniũ Eſa.xxviij. De igit̃ animi cõcitati diligẽtia nuꝑ ſincerius ſcripſi ego Felix hemmerlin de Thurego decretoꝝ doctor inutilis in tractatulo de balneis naturalibꝫ in ꝑncipio. ⁊ hanc collatiõnẽ ſine libris cõpetentibꝫ in quodã loco ſolitario de anno dñi M.cccclvj. ſcripſi. ⁊ eſt int̃ libros aut volumĩa ſeu opuſcula ſiue collationũ tractatulos ꝑ me de ſeptiformi ſpũs dono: ⁊ ad multorũ magiſtroꝝ meorũ correctionis emẽdationẽ compoſitas: fabricatas: ⁊ compilatas (vt credo) viceſimuſquintus in nũero. de quo ꝑmordialis matrimonij cõditorẽ ⁊ omniũ donorũ largitorẽ glorificemꝰ ⁊ laudemus nũc ⁊ ſemꝑ in ꝑpetuo. Amen.

# De furto reliquiarũ et aliiſ rebus nuper in Monaſterio beate virginis loci heremitarũ per tres perſonas miraculoſe cõmiſſo ⁊ deducto: ⁊ finaliter reperto ⁊ recuperato.

Monaſteriũ beatiſſime virginis Marie in loco heremitarũ ordinis ſancti Bñdicti ſub dominio gentis Switenſiũ: immo in corde ⁊ viſceribꝫ eiuſdẽ ſituatũ. ⁊ ſub ſua protectione cõſtitutũ Cõſtancieñ. dyoceſ. quondã ꝓpter magne deuotiõis ⁊ religiõis obſeruantiã que viguit ibi cũ multis cõuentualibꝫ. regali etiã ⁊ alis de Comitũ ⁊ Baronũ generoſa proſapia quoqꝫ libera ꝓcreatis. ingit̃ diuina officia laudabiliter ꝑ horas canonicas et miſſaꝝ celebratiões ꝑficientibꝫ: venerabilit̃ fuit dotatũ ꝑdijs ⁊ poſſeſſionibꝫ. ⁊ inſuꝑ indulgẽtijs ⁊ ſanctoꝝ reliquijs multipliciter decoratũ. Sed deficit in ſalutari ſuo: ⁊ ꝑncipaliter in perſonis religioſis ⁊ cultu cõſequẽter diuino. ⁊ intantũ ꝙ his diebꝫ tantummodo ibidẽ duo religioſi cõueniunt eo: videlicꝫ abbas cũ cuſtode qui ſibi monachos aſſociauerũt ab alijs monaſterijs aut relegatos vel vagos: ſeu apoſtatas vel expulſos: ſiue diſperſos. diuina officia iuxta regule ordinis ſancti Benedicti aut monaſterij inſtitutionẽ minime celebrãtes: immo nullum ſtigma ſeu figurã religionis tam in habitibꝫ ꝙ̃ in habitationibꝫ ⁊ cõuerſationibꝫ ibidẽ obſeruantes: ſed oẽs ſimul in vnũ illicitis actibus cõtinuo tanꝙ̃ diſſolute laice perſone vacantes ⁊ vaniſſimã vitã a maiori vſqꝫ ad minimũ impudẽter ducentes. Unde quadã nocte videlicꝫ medio quadrageſime q̃ dicit̃ dñica Letare de anno dñi. M.ccccxlviij. ſuſcitauit dñs aĩas triũ virorũ de terra lõginqua. ⁊ nocte ingruente ſeras portarũ eccl'ie ⁊ altaris maioris ab antiq̃ firmiſſimas: ibidem aperuerũt ⁊ reliquias precioſiores eiuſdem monaſterij in auro ⁊ argento ſolẽniter recõditas ſine impedimẽto cuiuſcũqꝫ ⁊ cũ matura q̃ete ſurripuerũt: ⁊ lacũ ibidẽ nemine ꝑſente tranſfretarũt: ⁊ dũ in aĩo ſuo ꝓponerẽt firmiter vt expoſt ꝑ mõtes ⁊ colles ⁊ alpes deuia ⁊ inuia. q̃a q̃ male agit: odit lucẽ. Joh.iij. ⁊ ne ꝑ inſequẽtes deꝑhenderent̃: velocit̃ ambularent. nutu tñ dñi tanꝙ̃ amẽtes ⁊ vtiqꝫ nolẽtes ꝑ vallẽ ⁊ viã planã q̃ ducit ad opidũ imperialem Thuriceñ. ambulauerũt ⁊ ad muros eiuſdẽ ꝑuenerũt. et exinde ꝑ duas leucas ⁊ ampliꝰ hmõi theſauꝝ reliquiaꝝ deportare nequiuerũt: ſed deſperãtes in via publica reliquerunt. Et expoſt inſecuti ꝑ familiã opidanoꝝ Thuriceñ. in ipoꝝ dominio ſunt deꝑhenſi. ⁊ q̃liter cũ reliquijs ꝑuenerãt de loco ad locũ ꝑ ordinẽ edixerũt: ⁊ oĩa geſta hyſtorialit̃ predicta narrauerunt. Que q̃dẽ reliquie talit̃ vt ꝑmittit̃ inuẽte cũ alijs rebꝫ: ꝯſeq̃nter ad capellã ſancti Leonhardi extra muros Thuriceñ. repoſite. mox videlicꝫ die martis cũ magne ſolẽnitatis ꝓceſſione totius cleri ⁊ ſuaꝝ reliquiarũ obuiã delatiõe ad eccl'iam maioꝝ Thuriceñ. glorioſe ſunt collocate. Et hinc mõſtruoſos nota caſus. Nã ꝓpe diebꝰ illis centũ annis ſunt elapſi. videlicet de anno dñi. M.cccxlviij. ⁊ in vigilia ſcti Martini q̃ ciues Thuriceñ. potẽter ꝓpter monachoꝝ ⁊ villanoꝝ loci heremitaꝝ ꝑdicti: exceſſus rapuerũt oẽs reliq̃as ⁊ reliquiaꝝ ꝯſeruatoria in auro ⁊ argẽto cõſiſtentia: ⁊ ad opidũ predictũ Thuriceñ. tranſtulerũt. ⁊ tandẽ ꝓcibꝫ cõuicti reſtituerũt. Itẽ non ſine mẽtis archano diſcutiamꝰ. nã illis diebꝫ q̃bus gens Switeñ. ꝑdidit hmõi reliq̃as: tercia die videlicꝫ Veneris ꝓcedẽti q̃ apud aliquos mediũ quadrageſime dicit̃. ⁊ anno ꝑdicto vꝫ. M.cccc.xlviij. in dominio Auſtrie ducũ: ab antiquo radicalit̃ dictis gentibꝫ ⁊ econtra inteſtinoꝝ medulliꝰ inimicoꝝ prope Baſileã ⁊ extra monaſteriũ porta celi ordinis ꝑmonſtrateñ. ꝑdicte dyoceſ. Cõſtancieñ. reꝑtus eſt miraculoſus reliq̃arũ theſaurꝰ ꝑ abbatẽ dicti monaſterij ⁊ in ſuo monaſterio venerabiliter recõditus. Et ecce palam cõtrarioꝝ dñs in cõtrariũ contra

